

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Strabonis Geographicorum [geographicorum] Lib. XVII**

**Strabo**

**Basileae, 1539**

[Initiale]

**urn:nbn:de:bsz:31-67095**



ARGUMENTVM DECIMI LIBRI.

Decimus liber Aetoliam continet & circumiacentes insulas, Cretam etiam omnem, in qua diutius immoratur, Ius civile illius edifferens, & Curetum, & Idcorum insuper Dactylorum in eadem genesin & honorificentiam & Orgya prosequens. Priuatam etiam profapiam suam Strabo ex Creta repetit, praeterea positas circum Cretam insulas multas numero in libro existentes, inter quas & Sporades sunt, & de Cycladibus nonnullis.

STRABONIS GEOGRAPHICORVM LIBER DECIMVS.



OSTQVAM Euboea ad hoc totum litus opponitur, quod a Sunio tenus Thessalia protenditur, exceptis extremis utrinque, affine uidetur, ut ipsum insulae tractum ad ea quae dicta sunt continenter adiungamus, postmodum ad Aetolicam plagam Acarnanicamque transire, quae de Europae partibus restant. Igitur insula a Cenaeo ad Gerastum mille ferme ac ducentis stad. oblonga porrigitur, eius latitudo haud sane aequalis est, ad summum uero ad centum & quinquaginta extenditur stadia. Itaque Cenaeum quidem secundum Thermopylas eaque quae extra Thermopylas sunt paululum abest, at Gerastus atque Petalia coram Sunio. Atticae igitur atque Bceotiae, agroque Locrensi medio Euripo, contra respondet & Malienisibus. Caeterum propter angustam eius formam longitudinemque praedictam maiores nostri quondam Macrin illam nominauere. Cumque curua sit a Chalcide maxime in continentem applicatur terram, & Aulidem agrum Bceotiae locum, Euripumque efficit. De quo longiorem produximus orationem, de quibus locis ferè inter se inuicem per freta diuisis & ad continentem, & ad insulam contraiacentibus ex utroque Euripi latere, & intus & extra, quod si quid omissum fuerit, in praesentia apertius supplebimus. Ante omnia caua Euboeae orae esse pars dicitur, quae inter Aulidem, Gerastumque continetur. Plaga namque maritima in sinus formam flectitur, Chalcidi uero propinqua curuatur, iterum in ipsam spectans continentem. Caeterum non tantum Macris sed etiam Abantis uocabatur insula. Poeta igitur cum in insulae mentionem uenit, nunquam Euboeenses, semper autem Abantes dicitur,

οἷδ' Ἐβωϊαν ἔχου μὲν ἄ τινέωντες Ἄβαντες. id est, Euboeamque colunt spirantes robur Abantes. Et illud, τῶ δ' ἄμ' Ἄβαντες ἐπὶ οὐδ'.

Pariter comitantur Abantes.

Ut autem scriptis affirmat Aristoteles, profecti de Aba Phocidis ciuitate Thraes insulam incoluere, unde illius inquilinos Abantes appellatos. Sunt qui ab heroe dicant nominari, sicut heroicæ indolis matronam Euboeam ei cognomen tradidisse. Fortasse item quemadmodum & in litore situm antrum quoddam in Aegaeum uergens Aula bouis uocatur, ubi Io Epaphum peperisse fertur, eademque ex causa hoc nomen adepta fuit insula, quam etiam Ocham uocauere eodem quo mons

Euboea descriptio.

Cenaeum. Gerastus.

Petalia.

Macris. Aulis.

Euboea caua quae sit.

In Catalogo.

Abantes. Aba. Euboea heroica. Aula bouis. Io. Epaphus. Ocha.

C